

cæde est mœnibus repulsus. Nunciatur interim, hostium 1464
 classem appropinquare, quæ præter alia minora navigia,
 quinque & quadraginta haberet triremes: duo ad hæc equi-
 tum millia, averſa inſulæ parte in littus expoſita, jam jam
 affutura nunciabantur. His nunciis Urſatus territus, quin-
 què hominum millibus amiſſis, reliquiſque magna ex par-
 te ſauciis, ex Mityleneo littore in Eubœam venit, ubi ho-
 mo vehementi alioquin ſpiritu, rei male geſtæ conſcientia
 ita dolori indulſit, ut jam ſibi parum conſtare crederetur.
 Ex Chalcide in Peloponneſum delatus, ubi Methonem ven-
 tum eſt, dum e navi a ſuis in littus exponitur, ſubito do-
 lore, velut ruina quadam, depreſſus, dimidio horæ expi-
 ravit. Hic fuit Urſati Juſtiniani finis, viri inter ſuos & ma-
 gnitudine animi, & ſumptuoſitate illuſtriſſimi.

Jacobus Lauretanus poſt Urſati mortem ad imperium
 claiſſis eſt miſſus. Eum in provinciam proſectum Sigifmun-
 dus Malateſta cum mille viris ex Italia ſecutus eſt, Pio Pon- 1465
 tifice jamdudum cum Venetis, Pannoniæ Rege, & Philip-
 po Burgundiæ Duce, majus in Turcos bellum molienti-
 bus. Verum ubi ille in provinciam venit, Joannis Attel-
 lani & Brandolini cæde audita, animadverſa ad id mili-
 tum paucitate, dixiſſe fertur: *Nunquam ad id bellum ſe*
exiturum fuiſſe, ſi prius de provinciæ ſtatu reſciviſſet. Sed ne
 fruſtra miſſus videretur, cum iis copiis quas contrahere
 potuit, Spartam (urbem olim inter reliquas Græciæ no-
 biliffimam) quæ mutata facie mutavit, ut dixi, & no-
 men, ſubita vi cepit. Capto oppido, quod infrequens ho-
 die habitatur, arcem ipſam bellicis operibus oppugnare oc-
 cœpit. Tenuit obſidio illa plures meſes, nec ob validum
 præſidium quo inita erat, expugnari potuit. Medio autem
 autumnò quatuordecim barbarorum millia loco Venetis ca-
 ſtris propinquo conſedere: Sigifmundus ſuorum paucitati
 diſſuſus (quippe qui ad duo millia hominum, non amplius,
 in caſtris habebat) neque totis viribus dimicare eſt auſus,
 neque pugna omnino abſtinuit: ſed quândiu hoſtis affuit,
 partim conſilio, partim armis omnes ejus conatus ita elu-
 ſit, ut nulla ſuorum clade, barbari, præſidio in arcem im-
 miſ-